



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum est pro Hungaria
3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Megjelenik Budapesten, I. kerület, Verpeléti-út 22.,
tízszor egy évben. Előfizetési ára évi 3 pengő; kül-
földön 4 pengő.

Resurrectio animorum.


Si unquam Christiani propter desiderium Christi maximo splendore summaque animi laetitia resurrectionis festa coluerunt, quanto maiore desiderio nunc resurrectionem Christi expectari atque celebrari oportet, cum totum fere genus humanum in vasto gurgite malorum¹ iacet vixque ex eo se emersurum sperat! Maximum quidem est naufragium rei familiaris,² maiore tamen dolore videmus obitum occasumque³ animorum. Nam ut est mors corporis, cum anima exit e corpore, ita est mors animi, cum homo gratia Dei amissa in scelerum voraginem praecipitat. Et gravior est mors animi, quam corporis; corpus enim, ex quo anima emigravit, fit exanimum nihilque amplius doloris sentire potest. At animus in voragine scelerum mersus aut reprimit morsum conscientiae⁴ et obdurescit ad meliora, aut aculeis scelerum stimulatus semper in angore conscientiae vivit. Est etiam duplex resurrectio: corporis et animi. Maioris momenti⁵ est animi, quam corporis resurrectio; corpus quidem novissimo⁶ die resurget, ut cum anima con-

iungatur, animus autem nunquam, nisi in hac vita resurgere potest. Nam si quis scelestus vita decesserit, peribit in aeternum neque unquam se cum Deo reconciliare poterit.

Maximo quidem nunc dolore videmus ruinam fortunarum⁷ et praeter paucos divites vitam hominum miserrimam, maiorem tamen dolorem nobis affert mors animorum. Homines enim malis falsisque opinionibus e Russia⁸ diffusis corrupti et corporis libidines sectantur et cultum Dei negligunt, immo, quod peius est, plurimi Deum maximo odio afficiunt atque etiam nomen eius ex animis hominum penitus extirpare conantur. Quorsum hoc sit evasurum,⁹ nescimus; id tamen constat propter impietatem et propter malos mores totum orbem terrarum tantis affligi calamitatibus. Quarum nullum usquam reperietur remedium, nisi nos ad Deum et ad bonam frugem¹⁰ receperimus¹⁰ vitamque profligatam bonis moribus correxerimus. Sic fiet resurrectio animorum.

Haec cogitemus ac reputemus nobiscum,

¹ bajok ² anyági bukás ³ bukás ⁴ lelkiismeret-furdalás ⁵ fontosabb ⁶ utolsó ⁷ vagyoni romlás
⁸ Oroszország ⁹ fejlődik ¹⁰ jó útra tér.



cum nos ad celebrandam resurrectionem Christi praeparamus. Atque animos hominum resurrecturos esse propterea etiam sperare possumus, quod ubique paulatim desiderium vitae melioris in animis surgere atque ardere videmus. Quo desiderio ductae exterae nationes alia post aliam iugum pessimorum hominum excutere ordinemque intra suos fines restituere prospero successu¹¹ conantur. Quid hoc aliud, nisi resurrectionem figurat¹² animorum? qui cum diutissimum bellum perosi et paucorum profligatorum fallacia seducti contra veterem institutionem rei publicae seditionem movissent, et novas leges pro prioribus substituissent, postea novas condiciones¹³ peiores esse prioribus videntes illos quidem paenituit omnia vetera evertisse, cum tamen pauci disciplina bene coerciti¹⁴ summum imperium e manibus emittere recusarent, nihil aliud restabat, nisi correctis moribus viribusque coniunctis gradu deicere profligatos. Hoc tamen ideo bonis civibus successit, quod prius animi excitati atque renovati erant. Quod si nos quoque sequimur exemplum pioque animo resurrectionem Christi celebraverimus, merito sperare poterimus post resurrectionem animorum etiam angustias fortunarum¹⁵ esse transituras.

Valentinus Fehér.

¹¹ kedvező eredménnyel ¹² jelképez ¹³ állapotok
¹⁴ jól fegyelmezett ¹⁵ szorult anyagi helyzet.

HYMNUS.

Vexilla regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium,¹
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.²

Quae vulnerata lanceae³
Mucrone⁴ diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda, sanguine.

Impleta sunt quae concinit⁵
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite⁶
Tam sancta membra tangere.


Beata, cuius brachiis
Pretium⁷ pendit saeculi,⁸
Statera⁹ facta corporis,
Tulitque¹⁰ praedam tartari.¹¹

O Crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium,
Amen.

(E Breviario.)

¹ szent titokzatossága ² meghosszabbít ³ lándzsa
⁴ éle, hegye ⁵ dicsőít, megénekel ⁶ törzsével ⁷ vált-
ságdíj ⁸ világ ⁹ mérleg ¹⁰ = abstulit, elragadta
¹¹ a pokoltól a zsákmányt.



Canis et lupus.

Lupus quondam a venatoribus actus deum in cavea canina refugium invenit. Canis quadam reverentia ductus hospitem salutavit, immo casam suam locum habitandi ei obtulit. Lupus periculo amoto laudibus extollebat silvas, caveam autem caninam contemnere et parvi ducere coepit...

— Amice, hic — inquit lupus, — putrescere nolim, sed vade mecum in silvas apertas!

Frustra. Canis vagari atque casus incertos insectari nolens remansit.

Parva domus, magna quies!

Somnus leonis.

Morpheus¹ mirabiles species somniorum regi animalium dedit. In somnis se nempe in vincula coniectum et suem — mirabile dictu — dignitatem imperatoriam affectare² videbat. Cuius novae ac subitae rei admiratione nimis affectus est leo. Pro rege rugienti³ grunniens⁴ rex regnavit. Repentina morte perire malebat leo, quam sic vivere, cum sus sordidus eum etiam pedibus icere coepisset . . . «Iure mihi dicere videor, — ita leo — nullam novaculam⁵ tam ruditer⁶ radere,⁷ quam sordidum⁸ virum, qui sublime adipiscitur ministerium!»

Giraffa et simia.⁹

Giraffa folia arboris comedente simia arborem conscendit et cachinnum tollens¹⁰ dixit giraffae:

— Heus, lurco,¹¹ fac similiter atque ego!

Giraffa dum caput in altum erexit, cum contemptu ait:

— Ego sine reptatione¹² alte sublimor,¹³ simia, quo alias semper oculos attollere debet.

Aquila et musca.

Aquila vetula¹⁴ in vivario¹⁵ clausis oculis sedebat contrahens se.¹⁶ Musca quaedam proterva¹⁷ per nasum repens aquilam insperate e cogitationibus eripuit.

— Aufer hinc te, nebulo,¹⁸ ne capite luas¹⁹ audaciam tuam!

— Nemo non scit, — respondet musca ridens — aquilam nequaquam muscas captare solere.

— Sic fuit ante! His diebus, destructis etiam regibus, parum cibi sufficit, — aiebat aquila — et devorabat muscam.

Miles et argentarius.²⁰

Argentarius quidam conspexit militem in bellum euntem.

— Cur moriturus abis? Quaeras magis divitias domi et utere illis. Apud me quaestus pecuniae per dies fit. Tu quoque videbis, quanta tibi gaudia afferat pecunia.

Miles: Commilitones meos non relinquo. Argentarius: Pecunia alios comparabit tibi amicos.

Miles: Quos mihi divitiae peperere, sunt falsi amici; argentum, non me, diligent illi. At fama manet facti mei.

Fama pluris est, quam opes!

Sebastianus Alexander Módlý.

¹ az álom istene ² elfoglalni törekszik ³ bömbölő ⁴ rőfögő ⁵ borotva ⁶ durván ⁷ borotvál ⁸ hitvány ⁹ majom ¹⁰ kacag ¹¹ nagybelű ¹² csúszás—mászás ¹³ felemelkedem, jutok a magasba ¹⁴ vén, agg ¹⁵ ketréc ¹⁶ gubbaszt ¹⁷ vakmerő ¹⁸ semmirekellő ¹⁹ éleddel lakolj ²⁰ pénzváltó, tőzsér.

Quorundam vocabulorum et locutionum origo et progressus.¹

Iacturam facere cum significet alicuis rei amissionem pati vel damnum accipere,² translate³ dicitur estque nautica locutio⁴ inde orta, quod cum navis in mari iani prope erat, ut naufragium faceret, gubernator merces atque res supervacaneas⁵ eiici, id est iacturam vel iactum⁶ fieri iussit. Curt. Ruf. 5, 9 (28), 3: gubernator ubi naufragium timet, iactura quidquid servari potest, redimit.⁷ In Actibus Apostolorum (C. XXVIII, 18) cum Apostolus Paulus a centurione Iulio Romam duceretur, narratur: «Valida autem nobis tempestate iactatis sequenti die iactum fecerunt». Luculentissimum⁸ translate significationis legitur exemplum in Plinii Epist. I. 12.: «iacturam gravissimam feci, si iactura dicenda est tanti viri amissio».⁹

Desiderare cur idem sit ac cupere aliquid, cupientem esse alicuius absentis rei, cum ex eadem stirpe¹⁰ atque considerare enatum sit,¹¹ causa sic explicari potest: desiderare ac considerare ex sidere (sidus, -eris) originem ducit estque ut contemplari, vocabulum augurale,¹² nam augur siderum positionem¹³ in coelo spectat et scrutatur et primitus¹⁴ hanc habuisse significationem ex

¹ fejlődés ² elveszteni vmit, áldozatul dobni ³ átvitt értelemben ⁴ hajós-szólásmód ⁵ fölösleges, nélkülözhető ⁶ kidobálás, kihányás ⁷ váltja meg ⁸ találó ⁹ szörnyű veszteség, ért, ha ugyan a veszteség szó kifejezi ennek a nagy embernek az elvesztését ¹⁰ tő ¹¹ kisarjad ¹² auguri szó ¹³ állás ¹⁴ eredetileg.

Columellae 9.8 efficitur:¹⁵ «quibus provisio sequitur, ut examina desideremus». ¹⁶ Atqui¹⁷ si quis desiderat id est, identidem¹⁸ spectat et circumspectat aliquid, quod abest, videre studet et cupit.

Sic etiam *expectare* significationem opperiri obtinuit siquidem is, qui expectat foras¹⁹ spectat et circumspectat veniatne is, quem venturum cupit et sperat; hoc cum facit, opperitur²⁰ eum, quem expectat.

Si quam rem deponimus²¹ eamque perditam ducimus, cur etiam *conclamatam* dicimus? Nempe²² ea de causa, quod mos erat Romanis mortuos, mortuorum corpora conclamare id est cum fletibus et lacrimis deplorare²³ et flebiliter lamentari atque adeo praeficas²⁴ mercede conducere,²⁵ quae in funeribus mortuos conclamarent, id est gemitus ac fletus cum clamore cierent.²⁶ Itaque quae res conclamata est, eadem mortua et perdita est. Ter. Eun. 348.: «conclamatum est». ²⁷

Carolus Ács.

¹⁵ következik ¹⁶ ha ezt már elintéztük, vizsgáljuk a rajokat ¹⁷ már pedig ¹⁸ folyton-folyvást ¹⁹ kifelé ²⁰ várja ²¹ lemondunk valamiről ²² bizonyára ²³ el-siratni ²⁴ siratóasszony ²⁵ felfogadni ²⁶ támasszának, vigyének végbe ²⁷ vége van,

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Claudiani: De raptu Proserpinae.

(Claudius Claudianus Aegypti Canopo oriundus, Alexandriae eruditus in Italiam concessit seque in Stilichonis familiaritatem insinuavit.¹ Viguit exeunte quarto p. Chr. n. saeculo. Mortuus esse existimatur a 404 admodum iuvenis, cum vix tricenarius esset. Claudius natione Graecus linguam Latinam iam a puero edoctus videtur itaque bilinguis cum Latina carmina tum Graeca, quorum quaedam reliquiae supersunt, pangebatur.² Potiora eius poemata Latina sunt: Laudes Stilichonis, In Rufinum, In Eutropium l. 2, Epithalamium³ in nuptias Honorii, De raptu Proserpinae l. 3, Epistulae, Idyllia, Epigrammata atque quaedam alia. Claudianus tanto imprimis poetici sermonis vigore pollebat et alacritate, ut facile, qui eum antecesserint [Silius, Italicus, Statius et ceteros] aequaverit, aequalium vero nemo ei antecesserit.)

Aetnae descriptio.

(Lib. I. 153—179.)

*In medio scopulis se porrigit Aetna perustis,⁴
Aetna giganteos⁵ nunquam tacitura triumphos,
Enceladi bustum,⁶ qui saucia terga revinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulfur;
Et quoties detrectat⁷ onus cervice rebelli⁸
In dextrum, laevumque latus, tunc insula fundo
Vellit⁹ et dubiae nutant cum moenibus urbes.*

*Aetnaeos apices¹⁰ solo cognoscere visu,
Non aditu tentare,¹¹ licet: pars caetera frondet
Arboribus; teritur¹² nullo cultore cacumen.
Nunc vomit indigenas¹³ nimbos, piceaque gravatum
Foedat¹⁴ nube diem: nunc molibus astra lacessit¹⁵
Terrificis, damnisque¹⁶ suis incendia nutrit.
Sed, quamvis nimio fervens exuberet aestu,¹⁷
Scit nivibus servare fidem, pariterque favillis¹⁸
Durescit glacies tanti secura¹⁹ vaporis,
Arcano²⁰ defensa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas²¹ innoxia flamma pruinis.*

*Quae scopulos tormenta rotant²² quae tanta
cavernas*

*Vis glomerat²³ quo fonte ruit Volcanius amnis?
Sive quod obiicibus²⁴ discurrrens ventus operitis,
Offenso²⁵ per saxa furit rimosa²⁶ meatu,²⁵
Dum scrutatur²⁷ iter, libertatemque repositens²⁸
Putria²⁹ multivagis³⁰ populatur flatibus³⁰ antra:
Seu mare sulfurei³¹ ductum per viscera³² montis³¹
Oppressis³³ ignescit³⁴ aquis,³³ et pondera librat.³⁵*

Interpretatus est Carolus Ács.

¹ barátságába, bizalmába férkőzött ² költött, írt ³ nászdal ⁴ összeégett ⁵ Juppiter az Olympust ostromló gigászokkal való harcában Typhoeust és Enceladust vil-lámaival megölte és az Aetna alá temette ⁶ temetőhely, sír ⁷ lerázni, lehengeríteni akar ⁸ dacosan előre-sezgett nyakkal ⁹ alappjában megrendül ¹⁰ csúcs, bérc ¹¹ feljutni ¹² tapossa, jár rajta ¹³ rajta keletkezett, önmagából támadt zivatar ¹⁴ elsötétíti ¹⁵ szüntelen ostromolja ¹⁶ önmaga fogyasztásával (a belőle ki-szakadt részekkel) ¹⁷ túlárad, szertelen hőséget áraszt ¹⁸ szakasztott úgy, mint a hamu ¹⁹ nem érezve ²⁰ benső ²¹ szomszédos, mellette levő ²² szerteszt röpítik ²³ forgatja, kavarja ²⁴ torlasz ²⁵ mivel szabad járását elállják (a torlaszok) ²⁶ repedéses ²⁷ keresi ²⁸ szabad kijárára törekedve ²⁹ korhadt, mállott ³⁰ keresztül-kasul fujva ³¹ kénhegy ³² gyomra, belseje ³³ a vizen erőt véve, elfojtva ³⁴ megtüzesedik ³⁵ terhét felröpíti.

Arcum intensio¹ frangit, animum remissio.²

*

*Coelum sursum, terra deorsum, cor autem
iuvenum inscrutabile.³*

¹ megfeszítés ² alábbhagyás, tétlenség ³ kifürkész-tetetlen.

EX ARCHIVO LATINO HUNGARORUM

Iuliani¹ fratris praedicatoris peregrinatio² ad terras Hungarorum Maioris Hungariae.

Inventum fuit in Gestis Ungarorum³ christianorum, quod esset alia Hungaria maior, de qua septem duces cum populis suis egressi fuerant, ut habitandi quaerent sibi locum, eo quod terra ipsorum multitudinem inhabitantium sustinere non posset; qui cum multa regna pertransissent et destruxissent, tandem venerunt in terram, quae nunc Hungaria dicitur, tunc vero dicebatur pascua Romanorum,⁴ quam inhabitandam prae terris ceteris elegerunt, subiectis sibi populis, qui tunc habitabant ibidem. Ubi tandem per sanctum Stephanum primum, ipsorum regem ad fidem catholicam sunt reversi, prioribus Ungaris, a quibus isti descenderant,⁵ in infidelitate permanentibus, sicut et hodie sunt pagani.

Fratres igitur praedicatores, his in gestis Ungarorum inventis, compassi⁶ Ungaris, a quibus se descendisse noverunt, quod adhuc in errore infidelitatis manerent, miserunt quatuor de fratribus ad illos quaerendum, ubicunque eos possent, iuvante domino, invenire. Sciebant per scripta antiquorum, quod ad orientem essent;⁷ ubi essent, penitus ignorabant. Praedicti vero fratres, qui missi fuerant, multis se exponentes laboribus, per mare, per terras eos usque post annum tertium quaesiverunt; nec tamen propter multa viarum pericula poterant invenire; uno ipsorum excepto sacerdote, nomine Otto, qui tantum sub mercatoris nomine processit, qui in quodam regno paganorum quosdam de lingua illa invenit, per quos certus efficiebatur, ad quas partes manerent; sed illorum provinciam non intravit; immo in Ungariam est reversus pro fratribus pluribus assumendis, qui cum ipso redeuntes fidem illis catholicam praedicarent. Sed multis fractus laboribus post octavum reditus sui diem, cum omnem viam illos quaerendi exposuisset, migravit ad Christum.

Fratres vero praedicatores infidelium conversionem⁸ desiderantes, quatuor fratres ad quaerendam gentem praedictam iterato⁹ miserunt; qui accepta fratrum suorum benedictione, habitu regulari¹⁰ in secularem¹¹ mutato, barbibus et capillis ad modum paganorum nutritis,¹² per Bulgariam Assani¹³ et per Romaniam cum ducatu¹⁴ et expensis¹⁵ domini Belae nunc¹⁶ regis Hungariae usque Constantinopolim pervenerunt; ubi intrantes in mare per triginta et tres dies venerunt in terram, quae vocatur Zichia,¹⁷ in civitate, quae Matrica¹⁸ nuncupatur; quorum dux et populi se christianos dicunt, habentes literas et sacerdotes Graecos. Princeps centum dicitur habere uxores; omnes viri caput omnino radunt et barbibus nutriunt delicate,¹⁹ nobilibus exceptis, qui in signum nobilitatis super auriculam sinistram paucos relinquunt capillos, cetera parte capitis tota rasa. Ubi propter societatis spem,²⁰ quam expectabant, quinquaginta diebus moram fecerunt.²¹ Deus autem dedit ipsis gratiam in conspectu dominae, quae super centum uxores regis maior erat, ita, ut mirabili eos amplexaretur affectu,²² et in omnibus eis necessariis providebat.²³ Inde progressi consilio et adiutorio dictae dominae per desertum,²⁴ ubi nec domos, nec homines invenerunt, diebus

¹ Julián szentdomonkosrendi szerzetes 1236-ban felkereste az Ázsia szélén lakó magyarokat, hogy köztük a keresztény hitet terjessze. E hittérítői útjáról szól szövegünk; írója Richardus, Julián rendtársa
² vándorlás, utazás
³ a Névtelen jegyző művének címe
⁴ v. ö. Anonymus krónikájának 9. fejezetével: «Post mortem Athilae regis terram Pannoniae Romani dicebant pascua esse, eo quod greges eorum in terra Pannoniae pascebantur. Et iure terra Pannoniae pascua Romanorum esse dicebatur, nam et modo Romani pascentur de bonis Hungariae»
⁵ leszáll, lejön, «elszármaztak»
⁶ megszánn
⁷ Anonymus krónikájában (1. c.): «Scythia maxima terra est, quae Dentumoger dicitur versus orientem»...
⁸ megtérését
⁹ újra
¹⁰ rendi ruha
¹¹ világi öltözék
¹² megnövesztvén
¹³ II. Asen János bolgár cászár, IV. Béla sógora
¹⁴ vezetővel, kalauzzal
¹⁵ költségen
¹⁶ elindulásuk még II. Endre halála (1235 szept. 21.) előtt történt
¹⁷ a Kaukázus északnyugati lejtőjén
¹⁸ a byzantinusok Tamatarkája, ma Tamana, a Taman-félszigeten (Krim-félszigettől a Kercsi-tengerszoros választja el)
¹⁹ választékos finomsággal, izléssel
²⁰ abban a reményben, hogy majd társaságban, karavánnal utazhatnak
²¹ időztek
²² szívéllyesség
²³ szükségleteikről gondoskodott
²⁴ pusztaság.



tredecim transiverunt; ibique venerunt in terram, quae Alania²⁵ dicitur, ubi christiani et pagani mixtim manent; quot sunt villae,²⁶ tot sunt duces, quorum nullus ad alium habet subiunctionis respectum.²⁷

Ibi continua est guerra²⁸ ducis contra ducem, villae contra villam. Tempore arandi omnes unius villae homines armati simul ad campum vadunt, simul omnes metunt, et contiguo terrae spatio haec exercent,²⁹ et quicquid extra villas sive in lignis acquirendis sive in aliis operis habent, vadunt omnes pariter et armati; nec postea ullo modo pauci per totam septimanam³⁰ de villis suis quacumque de causa egredi absque periculo personarum, excepta sola die dominica³¹ a mane usque ad vesperam, quae in tanta devotione³² apud illos habetur,³² quod tunc quilibet, quantumcumque mali fecerit, vel quocumque habeat adversarios, securus potest sive nudus,³³ sive armatus, etiam inter illos, quorum parentes occidit, vel quibus alia mala intulit, ambulare. Illi qui christiano ibi censentur nomine,³⁴ hoc observant,³⁵ quod de vase illo nec bibunt, nec comedunt, in quo murem mori contingit, vel de quo canis comedit, nisi prius a suo presbitero fuerit benedictum; et qui aliter facit, a christianitate efficitur alienus; et si quis eorum quocumque casu hominem occidit, pro eo nec paenitentiam nec benedictionem accipit; immo apud eos homicidium pro nihilo reputatur. Crucem in tanta habent reverentia, quod pauperes sive indigenae sive advenae, qui multitudinem secum habere non possunt, si crucem qualemcumque super hastam cum vexillo posuerint, et elevatam³⁶ portaverint, tam inter christianos, quam inter paganos, omni tempore secure incedunt.

De loco illo fratres societatem habere non poterant procedendi,³⁷ propter timorem Tartarorum, qui dicebantur esse vicini; propter quod duobus ex ipsis revertentibus, reliquis duobus³⁸ perseverantibus in eadem terra, in penuria maxima sex mensibus sunt morati, infra quos nec panem, nec potum praeter aquam habebant; sed unus fratrum, sacerdos, coclearia³⁹ et quaedam alia praeparavit, pro quibus aliquando parum de milio⁴⁰

receperunt, de quo nonnisi tenuerit, nimis poterant sustentari, unde decreverunt duos ex se vendere, quorum pretio alii ceptum iter perficerent; sed non invenerunt emptores, quia arare vel molere nesciverunt. Unde necessitate coacti duo ex eis de illis partibus versus Ungariam redierunt, alii⁴¹ vero remanserunt ibidem, nolentes desistere ab itinere inchoato. Tandem ipsi habita quorundam paganorum societate, iter arripientes per deserti solitudinem triginta septem diebus continue iverunt; infra quos viginti duobus panibus subcinericiis⁴² usi sunt, adeo parvis, quod in quinque diebus potuissent et non ad satietatem totaliter comedissee. Unde frater,⁴³ qui sanus quidem, sed sine viribus fuit, cum maximo labore et dolore, libenter tamen de deserto eduxit. Infirmus autem frater plus sano quam sibi compatiens⁴⁴ illi frequenter dicebat, quod ipsum in deserto relinqueret tamquam mortuum et truncum⁴⁴ inutilem, ne per occupationem⁴⁵ ipsius negligeretur opus dei; qui nequam consensus, sed usque ad mortem ipsius secum in itinere laboravit. Pagani comites viae ipsorum, credentes ipsos habere pecuniam, fere eos occiderant perquirendo. Transito autem deserto sine omni via et semita, tricesimo septimo die venerunt in terram Sarracenorum, quae vocatur Vela, in civitatem Bundam; ubi nullo modo apud aliquem poterant hospitium obtinere, sed in campo manere oportuit, in pluvia⁴⁶ et frigore. Dictus vero frater, qui sanus fuit, sibi et infirmo fratri helemosinam⁴⁷ per civitatem quaerebat, et tam in potu quam in aliis potuit invenire, praecipue a principe civitatis, qui eum christianum esse intelligens, libenter ei helemosinas porrigebat, quia tam princeps quam populus illius regio-

²⁵ Alania a Kaukázus északi részén feküdt ²⁶ falu, tanya ²⁷ egyik sem tekintti magát a másik alattvalójának ²⁸ csatározás, csetepaté ²⁹ gyakorolják, üzik ³⁰ az egész héten át ³¹ vasárnap ³² ezt a napot annyira szentnek tartják ³³ fegyvertelen ³⁴ számba mennek ³⁵ megtartják, ügyelnek arra ³⁶ (magasra) emelve ³⁷ karavánhoz csatlakozva továbbutazni ³⁸ Julián és Gellért ³⁹ kanalakat ⁴⁰ köles ⁴¹ Julián és Gellért ⁴² hamukenyéren éltek ⁴³ Julián ⁴⁴ tuskó ⁴⁵ a vele való bajlódása közben ⁴⁶ sár ⁴⁷ almizsna.

nis publice dicunt, quod cito fieri debeant christiani et ecclesiae Romanae subesse. Inde ad aliam civitatem processerunt, ubi praedictus frater infirmus, Gerardus nomine sacerdos, in domo Sarraceni, qui eos propter Deum recepit, in Domino obdormivit, et est sepultus ibidem.

Postmodum frater Iulianus, qui solus remanserat, nesciens qualiter posset habere processum, factus est serviens unius Sarraceni sacerdotis⁴⁸ et uxoris ipsius, qui fuit in Magnam Bulgariam⁴⁹ profecturus, quo et pariter pervenerunt. Est vero Magna Bulgaria regnum magnum et potens, opulentas habens civitates; sed omnes sunt pagani. In regno illo publicus est sermo, quod cito debeant fieri christiani et Romanae ecclesiae subiugari; sed diem asserunt se nescire, sicut enim a suis sapientibus audiverunt. In una magna eiusdem provinciae civitate, de qua dicuntur egredi quinquaginta milia pugnatorum, frater unam Ungaricam mulierem invenit, quae de terra, quam quaerebat, ad partes illas tradita fuit viro. Illa docuit fratrem vias, per quas esset iturus, asserens quod ad duas dietas⁵⁰ ipsos posset Ungaros, quos quaerebant, procul dubio invenire; quod et factum est. Invenit enim eos iuxta flumen magnum Ethyl;⁵¹ qui eo viso, et quod esset Ungarus christianus, intellecto, in adventu ipsius non modicum sunt gavisi, circumducentes eum per domos et villas⁵² et de rege et regno Ungarorum christianorum fratrum ipsorum fideliter perquirentes et quaecumque volebat, tam de fide, quam de aliis eis proponere, diligentissime audiebant, quia omnino habent Ungaricum idioma, et intelligebant eum, et ipse eos. Pagani sunt, nullam Dei habentes notitiam; sed nec idola⁵³ venerantur; sed sicut bestiae vivunt; terras non colunt, carnes equinas, lupinas et huiusmodi comedunt; lac equinum et sanguinem bibunt. In equis et armis abundant, et strenuissimi sunt in bellis. Sciunt enim per relationes⁵⁴ antiquorum, quod isti Ungari ab ipsis descenderant; sed ubi essent ignorabant. Gens Tartarorum vicina est illis, sed idem Tartari committentes⁵⁴ cum eis, non poterant eos in bello devincere; immo in primo proelio devicti

sunt per eos. Unde ipsos sibi amicos et socios elegerunt, ita quod simul iuncti quindecim regna vastaverunt omnino. In hac Ungarorum terra dictus frater invenit Tartaros et nuntium ducis Tartarorum, qui sciebat Ungaricum, Ruthenicum, Cumanicum,⁵⁵ Theoticum,⁵⁶ Sarracenicum et Tartaricum; qui dixit, quod exercitus Tartarorum, qui tunc ibidem ad quinque dietas vicinus erat, contra Alemaniam⁵⁷ vellet ire; sed alium exercitum, quem ad destructionem⁵⁸ Persarum miserant, expectabant. Dixit etiam idem, quod ultra terram Tartarorum esset gens multa nimis, omnibus hominibus altior et maior, cum capitibus adeo magnis, quod nullo modo videntur suis corporibus convenire, et quod eadem gens de terra sua exire proponit, pugnaturi cum omnibus, qui eis resistere voluerint, et vastaturi omnia regna quaecumque poterunt subiugare. Frater, his omnibus intellectis, licet ab Ungaris invitaretur, ut maneret, donec decrevit, duplici ratione, una, quia si regna paganorum et terra Ruthinorum, quae sunt media inter Ungaros christianos et illos, audirent, quod illi ad fidem catholicam invitarentur, dolerent, et vias omnes forsitan de cetero observarent,⁵⁹ timentes, quod si illos istis contingeret christianitate coniungi, omnia regna intermedia⁶⁰ subiugarent; alia ratione, quoniam cogitabat, quod si eum in brevi mori aut infirmari⁶¹ contingeret, frustratus esset⁶² labor suus, eo quod nec ipse profecisset⁶³ in illis, nec fratres⁶⁴ Ungariae, ubi esset gens eadem, scire possint. Cum igitur vellet reverti, docuerunt eum idem Ungari viam aliquam, per quam posset citius pervenire. Incepit autem frater redire tribus diebus ante festum nativitatis beati Johannis Baptistae,⁶⁵ et paucis diebus in via quiescens, tam per aquas quam per terras, secundo die post nativitatem domini Ungariae portas intravit; et tamen per Ruciam et per Poloniam eques venit. In redeundo de praedicta Ungaria

⁴⁸ hodza (mohamedán pap) ⁴⁹ a volgamelléki Bulgária ⁵⁰ kétnapi járóföldre ⁵¹ Volga ⁵² bálvány ⁵³ hagyomány ⁵⁴ összecsap ⁵⁵ kün ⁵⁶ német ⁵⁷ Németország ⁵⁸ megsemmisít ⁵⁹ őriz; valószínűleg *obsereant* (elzár) a helyes ⁶⁰ közbeeső ⁶¹ megbetegszik ⁶² füstbe megy ⁶³ boldogul ⁶⁴ a dominikánusszerzetesek ⁶⁵ tehát 1236 június 21-én.

Claudia cum quam primum id quod petebat, perficere niteretur, eodem vespere visit anum¹⁹ veneficam, quae in spelunca Vesuvii montis habitabat magicasque potiones²⁰ facere sciebat.

Claudia ad radicem²¹ montis e lectica descendit lecticariisque²² ibi relictis uno servo famulaque comitantibus iter ad speluncam ferens ingressa est. His ad ostium speluncae manentibus ipsa speluncam fumi vaporisque²³ plenam intravit. Anus sordido panno²⁴ vestita humo surrexit.

— Quid vult — inquit — filia Solis hic in spelunca ignivomi²⁵ Vesuvii?

— Auxilium a te, mulier sapiens, peto.

— Quid me vis?

— Tria postulo.

— Multa petis.

Claudia crumenam²⁶ auri plenam anui obiecit.

— Dic — ait venefica, — quid petis? Nemo, quod clam fers, cognoscet. Procus recentior²⁷ tecum petit matrimonium.

— Rem tenes — inquit Claudia obstupefacta, — aliquis tamen eum a me alienare²⁸ studet. Hoc impedire debes. Da mihi fortem²⁹ potionem, quae cerebrum³⁰ corrumpat et medullam³¹ ex ossibus exsorbeat.

— Habebis potionem; sed da mihi anulum carbunculo³² ornatum, quem in digito geris.

— Hunccine vis? — ait Claudia; nam eum a Rufo acceperat. — Fieri non potest, quod petis.

— Tum frustra venenum speras — inquit anus.

Claudia timens, ne frustra longum iter fecisset, anulum detractum veneficae tradidit.

— Quid deinde petis? — quaerit anus.

— Eius modi potionem, qua insano amore incendatur is, cui praebetur.

— Ludus est — ait venefica.

Tum anus manipulo³³ cremiorum³⁴ igni iniecto in extrema spelunca evanuit. Claudia toto corpore tremens stabat, dum anus rediit. Anus duas vitreas lagoenulas³⁵ manibus tenebat. Una rubro, altera albo liquore impleta erat.

— Ecce potiones — inquit anus; — rubra lagoenula vitam et amorem, alba mortem

significat. Cave, ne has per errorem commutes.³⁶

Claudia lagoenulis in peram³⁷ conditis:

— Tertium etiam — inquit — habeo, quod a te petam.

— Eloquere.

— Sunt feminae, quarum pulchritudo deflorescere incipiat...

— Sicut mea pulchritudo — interfatur anus. — Igitur eius modi remedium vis, quod iuventutem pulchritudinemque tibi revocet? Tale remedium reperiri potest.

— Ain tu? Ostende mihi istuc. Sed prius edic pretium.

— Hoc nulla mercede paratur. Si vis revocare iuventutem et pulchritudinem, bibe decem guttas e vaporanti³⁸ sanguine infantis innocentis.

— E sanguine infantis innocentis! — clamat Claudia horrore percussa.

— Si eum fastidis, misce vino. Si vero semper iuvenis et pulchra manere vis, exprime labrisque sorbe sanguinem e corde palpitanti³⁹ infantis occisi.

— Horrendum auditu! — clamat Claudia.

— Visne etiam aliud? — quaerit anus cum ironico⁴⁰ risu.

— Nihil, nihil! — quiritat⁴¹ Claudia et celeriter e spelunca evolat. Quam maxima potuit celeritate de monte decurrit. Ibi cohorrescens manus comitum complexa in lecticam conscendit et caeca nocte se domum referri iussit.

VII. Odium et venenum.

In domo Fulviae Christiani agapen⁴² celebrabant. Lucernae in argenteis candelabris⁴³ ardebant, sed maxime flagrabant animi hominum, propterea quod panem a sacerdote consecratum edebant.

Urbanus sacerdos cum eloquentia narravit de vita morteque Christi, quem ipse praesentem in Palaestina vidisset.

Ceteris digressis Urbanus et Teucer reman-

¹⁹ vénasszony ²⁰ varázsital ²¹ tő ²² a gyaloghintó vivője ²³ gőz ²⁴ rongy ²⁵ tűzhányó ²⁶ erszény ²⁷ újabb ²⁸ elhódít ²⁹ erős ³⁰ agy ³¹ velő ³² rubin ³³ marék ³⁴ száraz rőzse ³⁵ üvegcsé ³⁶ felcserél ³⁷ táská ³⁸ párolgó ³⁹ vonagló ⁴⁰ gúnyos ⁴¹ jajgat ⁴² szeretetlakoma ⁴³ gyertyatartó.

serunt. Fulvia, quae illos consulere statuerat, narravit eis omnia, quae facta erant, locuta est de patre et Claudia et Proculo, qui se in matrimonium petisset, postremo de Pelia, quem ipsa amaret.

— Date mihi — inquit — consilium. Licetne mihi Peliae nubere?

— Pelias — ait Urbanus — tibi confidelis⁴⁴ est sociusque Christianae religionis. Conubium vestrum non impeditur, propterea quod id est magnum in Christo mysterium.

— Gratias ago tibi, reverende pater — ait Fulvia. — Iam scio, qua in via grassari debeam.

— Deus favore te prosequatur⁴⁵ inquit Urbanus.

Cum domo egressi essent, Fulvia aliquantum itineris eis comitem se dedit. Ut taciti ibant, subito terra sub pedibus contremuit. Timore perterriti constiterunt.

— Quid fuit hoc? — quaerit Fulvia.

— Sedecim annis ante — inquit Teucer — terrae motum expertus sum. Totum oppidum collapsum est. Simus cauti. Tueatur nos Deus a simili calamitate. Hic quidem amoenus,⁴⁶ sed periculosus locus est. Neque ego diu hic manebo. Simulac domum auream perfecero, Italia relicta in Graeciam profisciscar.

— Utinam ego quoque — inquit Fulvia — et Pelias tecum abscedere possimus! Hic inter inimicos invidiosos violentosque procos neque quietem neque beatam vitam reperio. Pelias quoque suam patriam desiderat.

— Quantum ego gauderem! — clamat Teucer. — Quam vellem Peliam redimere⁴⁷ et mecum in Graeciam ducere!

— Duc me tecum, Teucer — inquit Fulvia — atque esto mihi pater.

Laetus facio, quod optas — respondet architectus. — Tu et Pelias estis in mea tutela.⁴⁸ Clam aut vi vos abducam. Cras maneam a Diomede emam, qua in Graeciam vehamur.

Postridie eius diei Maria herae nuntiavit Peliam vespere captum et in carcerem pertractum esse.⁴⁹ Verisimile esse illum cum bestiis contendere oportere. Fulvia cum haec audisset, timore perterrita singultans in lec-

tum se prostravit. Serva vinum ei tulit. Quod cum bibisset, servam dimisit.

Vix ea discesserat, cum ex insperato⁵⁰ Claudia in cubiculo adfuit.

— Quid vis? — clamat Fulvia timore perterrita. — Abi!

Tamen Claudia ad lectum aggreditur.

— In gratiam — inquit — tecum redire cupio. Quum matrimonium cum tuo patre iam certum ratumque sit, nos, mater et filia, ne simus inimicae.

— Noli maculare nomen matris! Nunquam te matrem vocabo. Apage hinc!

Tum Claudia, quae poculum argenteum vini plenum in mensa conspexerat, oculis ira ardentibus velocissime lagoenulam venenatam prompsit et liquorem vino infudit.

— Abibo, Fulvia — ait clara voce. — Sed inique me tractas.⁵¹ Veniet tempus, cum veniam⁵² a me petes.

— Abi! — clamat Fulvia — ne amplius domum meam ingrediare.

Claudia celeriter recessit et post velum stetit Fulviam observatura.

Fulvia, quae nauseabat,⁵³ tremula manu poculum arreptum labrisque⁵⁴ admotum ebit. Dein oculis clausis decubuit. Claudia domum reliquit.

Paulo post Fulvia letalem⁵⁵ quendam dolorem sitimque sentiens genuit:

— Afferte mihi aquam!

Maria exanimata⁵⁶ involat, Teucer vestigiis sequitur.

— Vae! — clamat serva, — hera mea carissima morietur.

Servae timore perterritae se iniiciunt.⁵⁷

Teucer, cum poculum exhaustum, in quo nonnullae guttae remanserant, conspexisset herasque venenatas medicasque⁵⁸ notas haberet,⁵⁹ statim vidit, quid accidisset.

— Quis apud Fulviam ultimo fuit? — quaerit ex serva.

— Claudia recens⁶⁰ villam reliquit — balbutit⁶¹ illa.

— O illam feminam terribilem! — mussi-

⁴⁴ hitsorsos ⁴⁵ áldásával kísér ⁴⁶ kedves ⁴⁷ megvált ⁴⁸ gyámság ⁴⁹ harcol ⁵⁰ váratlanul ⁵¹ bánik ⁵² bocsanat ⁵³ rosszul érzi magát ⁵⁴ ajak ⁵⁵ halálos ⁵⁶ lélekszakadva ⁵⁷ beront ⁵⁸ gyógyfüvek ⁵⁹ ismer ⁶⁰ imént ⁶¹ dadog.

tat⁶² Teucer ; dein clara voce ; — Afferte cito aquam tepidam.

Aquam celeriter allatam et sale acetoque⁶³ mistam Fulvia bibit, sed mox, ubi ructavit,⁶⁴ liquor ater ex ore tremulo effusus est.

— Ago tibi, Deus, gratias — ait Teucer respirans.⁶⁵ — Venenum exiit.

Fulvia, postquam lac et oleum bibit, gravi somno mersa est.


Teucer Mariae praecepit, ut pedes aegrotae linteo aqua fervida madenti involveret idque iteraret,⁶⁶ ubi pedes refrigescere⁶⁷ inciperent.

Graecus architectus secum reputabat, edoceretne Rufum de sua suspicione. Nam illae guttae in poculo residuae⁶⁸ non satis causae suppeditabant,⁶⁹ cur Claudiam de veneficiis accusaret, cum aliud indicium⁷⁰ haberet nullum. Veruntamen plane ei persuasum erat venenum a nullo alio, nisi a Claudia poculo infusum esse ; sed priusquam Claudiae crimen inferret, exspectare volebat, dum Fulvia ad se rediret et convalesceret : ipsam enim optime dicere posse, quid factum esset.

Maria iure iurando promisit se a lecto Fulviae non abcessuram atque etiam cum damno vitae⁷¹ pro ea pugnaturam esse.

Rufus cum nomen febris audisset, contagionem⁷² metuens vitaeque suae timens domum vitabat. Vir enim ignavus sui que amans,⁷³ dum filia paene animam agebat, laute vivebat.

⁶² mormog ⁶³ ecet ⁶⁴ böfög ⁶⁵ fellélegzik ⁶⁶ ismétel ⁶⁷ hül ⁶⁸ visszamaradt ⁶⁹ nyujt ⁷⁰ bizonyíték ⁷¹ élete kockáztatásával ⁷² ragály ⁷³ önző.



Iocosa.

Boves ad puteum ex alveo¹ aquam sorbent. Haud procul a puteo stant duo rustici ; alter opulentus et sanus, diligenter curato corporis habitu,² alter ob helluationem³ incultus⁴ esse videtur.

Vir sanus illum incultum sic alloquitur : — Cur, frater, tam multum vini potas ?

Vide, ne damnum et salutis et rei familiaris accipias. En aspice illa ad alveum animalia, nullum eorum, ferias⁵ licet terga baculo, plus aquae potat, quam salus et ciborum digestio⁶ postulat.

Helluo respondet :

— Mihi quoque, frater, res ita est cum aqua.

*

Duo ex eodem loco homines sermonem inter se conferunt.

— Si exputaveris⁷ — inquit alter, — quot annos natus sim, nummum aureum a me accipies.

Alter oculis eum perlustrans temere⁸ respondet :

— Ipsum annum quinquagesimum agis.

— Attate,⁹ rem acu tetigisti.¹⁰ Sed qui verum exsecutus es cogitando ?¹¹

— Nostrum medicum audivi dixisse iam plane stolidum¹² esse, qui esset centum annorum ; tu vero cum sis semistolidus,¹³ te quinquaginta annos natum esse oportet

*

Joannes Nagy, agricola locuples bubulcum¹⁴ quattuor boves in nundinas¹⁵ agere iusserat ; ipse curru post boves vehebatur.

Peracto mercatu¹⁶ tertio die et agricola et bubulcus maxime ebrii domum redeunt. Uxor obviam eis exit ad portam et rem miserabilem experta maritum suis manibus adminiculans¹⁷ in lecto deponit. At cupida rescindi, quomodo mercatus evenerit, in stabulum ingressa bubulcum temulentum¹⁸ interrogat :

— Vendidistisne, Stephane, boves ?

— Vendidimus — respondet ille magnum oscitans.¹⁹

— Ubi est pecunia ?

— Nulla est.

— An dissipastis²⁰ eam ?

— Etiam. Sed saltem duas rettulimus cantilenas,²¹ quae sex bovis constant.²²

*

¹ vályu ² külső ³ korhely-élet ⁴ züllött ⁵ út
⁶ emésztés ⁷ kitalál ⁸ gondolkozás nélkül ⁹ ejnye
¹⁰ eltalál ¹¹ rájön ¹² hülye ¹³ félig hülye ¹⁴ béres
¹⁵ vásár ¹⁶ vásár ¹⁷ támogat ¹⁸ pityókos ¹⁹ ásit
²⁰ elkölt ²¹ nóta ²² ér.

Quidam rusticus, cui nomen erat Ioanni, tam intemperate²³ vino indulgebat, ut tandem in morbum, quod *delirium tremens* appellatur, incideret. Hunc morbum ita sanari constat, ut bibo²⁴ gradatim desuescat,²⁵ id est in dies minus vini accipiat.

Medicus rusticum, qui aegrotus in lecto iacebat, adit et uxorem eius interrogat, quomodo Ioannes se haberet.

— Valet utcunque,²⁶ sed res magnam habet difficultatem.

— Quid ita?

— Ioannes nullam vini guttam bibere vult.

— Si non vult bibere, duo homines fortiter eum teneant, tertius praescriptam portionem in guttur infundat.

Ioannes, capite renuit.

— Hoc male est — inquit, — sed unus me teneat, duo vinum infundant.

²³ mértéktelenül ²⁴ iszákos ²⁵ leszokik ²⁶ valahogy.

Solutiones aenigmatum numeri VI.

I. Demens superbis invidet felicibus. (Auson. sept. sap. 2, 3.) II. Inventa lege, inventa fraude. III. Mens invicta manet. IV. Ininitum sapientiae timor Domini. (Ps. 110.) V. Beati, qui habitant in domo tua Domine. (Ps. 83.) VI. Sors, Cimon, usio, figura, ter, culpa, paene, quies, noxia, centurio, temo, libella, Benacus, ratio: Socius fit culpa, qui nocentem liberat. (Publ. Syr. pag. 75, 618.)

Aenigmata recte dissolverunt: *Ladislau Balogh, Magdalena Fajsek, Emericus Farkas, Paulus Kurucz, Elmerus Nagy, Iosephus Patrik, Ladislau Pogonyi, Carolus Préts, Marianna Renner, Paula Szilassy.*

Praemium Ladislao Balogh sorte obvenit.

AENIGMATA.

I.

$\frac{\text{notum}}{\text{is}}$	fe et ris
----------------------------------	-----------

II.

$\frac{\text{iura}}{\text{is}}$	$\frac{\text{iura}}{\text{is}}$	$\frac{\text{iura}}{\text{is}} \dots$
---------------------------------	---------------------------------	---------------------------------------

III.

17, 26, 23, 4 = filia Beli, Tyrriorum regis, alio nomine: Elissa;

3, 13, 1, 5, 7, 24 = mater Musarum, a monendo;

2, 28, 27, 11, 27, 18, 9 = regio Italiae mediae;

14, 21, 6, 10, 15, 19 = centaurus, qui cum Deianiram rapere vellet, ab Hercule sagitta confixus est;

25, 18, 20, 5, 7, 26, 24 = urbs Venetiae inter Veronam et Patavium, condita a Gallis, hodie Vicenza;

16, 29, 30, 24 = nomen est amplae urbis Asiae, in regno Persarum;

33, 11, 32 = lacrima exiguae arboris in Arabia;

12, 31, 27, 21, 22, 18, 8, 2 = Ptolemaei Philadelphii et Arsinoes filia, quae cum Ptolemaeus expeditionem in Asiam suscepisset, voyit se comam sibi detonsuram, si incolumis reverteretur.

1—33 = sententia.

IV.

— — — ae dies quintus, vel septimus mensis

— — tis arbor, vinum ferens et Baccho sacra

— — nusia oppidum Apuliae, patria Horatii

— — ticulum sacculus, in modum retis contextus, ad varios usus

— — villae vetus oppidum Latii in Appia via

— — — itor rex Albanus, Procae filius, frater Amulii

— — ca saepe dicitur de cibo, quod proicitur avibus decipiendi gratia

— egea oppidum Arcadiae in Peloponneso

— — — atio tranquillitas, quies

— — nignus idem fere, ac liberalis

— — mesis dea Graecorum, quae ultrix habebatur male factorum

— — vax diu vivens, longaevis

— — spa insectum volucre, apis simile

— — gina regis uxor.

Litterae vocabulorum, quae desiderantur, recte expletae et deorsum lectae sententiam reddunt.

Proximus numerus IUVENTUTIS mense Maio prodibit.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.
Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
 ad quem epistulae et manuscripta mittantur.
Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiszkolai Tanáregyesület költségén.
 (Praeses: IOANNES KISPARTI DR., elnök.)